

grauissimum sumtum fuerit supplicium, qui suo merito poenae ac publicae ignominiae factus fuerit exemplum; qui denique eum infidelium ludibrio exponunt, dum blasphema quaeuis ac execranda in eum dicunt atque peragunt, hi inquam sunt παραδειγματιζοντες τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ.

En B. L. haec sunt, quae de adcurata expositione philologica loci nostri Paullini Tecum volui communicare. Jam in altera sectione exegetica sensum compositum huius dicti classici declarabo, et ad ductum eius exponam, quinam admittant peccatum in sanctum spiritum, quaenam hoc peccatum absoluant, et quam ob causam illud absolute per naturam suam sit irremissibile, vt hac ratione mens Apostoli in omnibus penitus perspiciatur.

SECTIO II. EXEGETICA.

IN QVA

INDOLES PECCATI IN SPIRITUM SANCTUM ADCVRATIVIS PERPENDITVR.

§. XXX.

HOc ex iis, quae in Sect. I. iam in medium fuisse prolata, abunde patet, quod ab Apostolo nostro ii peccati in spiritum s. dicantur rei, in quorum animis spiritus s. distinctam, viuam, atque certam operatus est euangelicae doctrinae cognitionem, quique ideo de veritate Euangelii intime ac penitus fuere conuicti (§. XII.) qui quaeuis dei dona, quibus vere credentes cumulare solet, eorumque

vina